



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Vademecum Sive Praxis Opera Quotidiana Aliaque ritè
peragendi, & per ea salutem & perfectionem propriam, ac
proximi, instituto Societatis Jesu conformem assequendi**

Limpens, Ferdinand

Coloniæ Agrippinæ, 1744

Intentio conversantis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54750](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54750)

five per visitationem amicam benevolentiam eorum conciliando, augendo, conservando, per quos multum mali impeditur, multum boni, salusque animarum procurari potest. Totius rei cardo in hoc vertitur, ut per conversationem quamcumque finis à S. P. N. intentus & intendatur, & attingatur. Hinc (dum te domi subinde recolligis, & minimè, ut Cato dicere solebat, otiaris, dum vel maximè otiosus esse videris) morosè rumina observanda circa hæc quinque puncta. 1. Intentionem. 2. Qualitates in conversante requisitas. 3. Qualitates discursuum. 4. Observanda circa tempus. 5. Circa modum.

Intentio conversantis.

1. **P**ER se patet, quòd cum proximo conversans aliam intentionem habere non debeat, quàm quâ quærit ultimato DEI gloriam, & spirituale bonum proximi. Ut Christus, dum anno ætatis trigesimo cœpit agere cum proximo, circumire civitates & oppida, prædicare regnum DEI in Synagogis & conventibus publicis & privatis domesticos inter parietes; duplicem intentionem hanc indefinenter declaravit his verbis: *Non quero gloriam meam, sed eius, qui misit me. Venit Filius hominis querere, & salvum facere, quod perierat.* Intentio hæc tanquam basis & fundamentum, cui vita Apostolica innititur, à S. P. N. nobis in aureo exercitiorum libro, in binis illis celeberrimis meditationibus de regno Christi, & de duobus vexillis solidè inculcatur,

Hinc

Hinc bene notanda est differentia inter conversationem in genere, & illam, quæ in specie inter ministeria Societatis numeratur. Si vagaris foris, curris à mane ad vesperam per domos, ut tempus fallas, amicos, consanguineos invisas, notitias novas contrahas, hoc vel illud temporale emolumentum capias, nova audias, sensualitati cuicumque demum indulgeas; nec movet te gloria DEI, aut utilitas spiritualis proximi. Conversatio tua sæcularis est, contra regulam & constitutiones peccas, ut invictè probat Suar. Tom. 3. de relig. Tr. 10. L. 9. & tibi melius esset, sociòque tuo, si pretiosum tempus, quod intereà inutiliter elapsum est, domi cum aliquo coronæ cœlestis augmento fuisset impensum. Fuisset etiam melius prospectum temporali emolumento domûs [quod, nisi degener & ingratus esse vis, tibi æquè benè, ac cæteris cordi esse debet] si frater per te inutilibus ejusmodi visitationibus distractus, laborâsset in officina sua, & sanè, successivè & paulatim magnum inde domui causatur damnum. O quàm benè & verè dixit S. Franciscus Borgias, illos juxta mentem Instituti conversari foris, & prout ministeria Societatis exigunt, qui libenter manent domi sive spirituali, aut corporali exercitio, sive studiis occupati. Hi enim, dum quasi inviti exeunt, & etiam urbanitatis causâ, amicos vel consanguineos invisunt, purificant intentionem, & principaliter ac ultimato fructum aliquem spirituales intendunt. Hoc ergo tuum sit à juventute principium, conversatio mea cum proximo nunquam erit alia, quàm
quæ

quæ inter ministeria Societatis recenseri meretur. Semper in ore & corde erit illud supra memoratum Pl. 103. *Exibit homo [Societatis] ad opus suum* (conforme sublimitati vocationis suæ) *& ad operationem suam [conversationem, quatenus est ministerium Societatis] usque ad vespertam.*

Qualitates Conversantis.

add. **Q**ualitates, quæ cum fructu conversatorio inesse debent, ad sex circiter capita reducuntur. 1. Debet esse sincerus, apertique pectoris; non tamen abusivè simplex. 2. Ad cuius serviendum promptus; non tamen familiarum certarum mancipium, seu, ut vulgè dici solet, faciendarius. 3. Non tetricus, agrestis, critirii proprii, affectatè, insipidè serius; sed affabilis, humanus, facilis, & intrà limites religiosæ modestiæ hilaris. 4. Solidè doctus, & in vario scibili versatus; non tamen jactabundus. 5. Cordatus ac generosus, non superbus. 6. Non dominativus, impetuosus, impatiens, sed amabilis, patiens, mansuetus. 7. Demum temperans, providus, circumspectus in cibo, potu, discursibus; maximè, dum de Principibus, Magistratibus, Religiosis, & in cuiuscunque proximi præjudicium sermo ingeritur.

Hæ qualitates, in ordine ad bona formanda principia practica, merentur explanationem aliquam.

Expla-